

**www.e-rara.ch**

**Oratio funebris in luctuosissimum ad plures abitum dn. Ioh. Iacobi Hofmanni, iuris utriusque doctoris et antecessoris Basiliensis**

**Brandmüller, Jacob**

**Basileae, [ca. 1644]**

**Universitätsbibliothek Basel**

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-22537>

---

**www.e-rara.ch**

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

---

**Nutzungsbedingungen** Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

**Terms of Use** This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

**Conditions d'utilisation** Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

**Condizioni di utilizzo** Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

ORATIO FUNEBRIS

In

luctuosissimum ad plures abitum

4.

DN. JOH. JACOBI HOFMANNI,  
Juris utriusque Doctoris & Antecessoris  
Basiliensis,

*habita*

à

M. JACOBO BRANDMYLLERO  
Juris utriusque Candidato.



---

B A S I L E Æ,  
Typis GEORGI DECKERI,  
Academiae Typographi.



ORATIO FUNEBRIS

de

Institutionum ad plures abicimus

DR. JOH. JACOBI HOFMANNI

Juris utriusque Doctoris & Auc-

toris Publici

liber

2

M. JACOBO BRANDENBURGIO

Juris utriusque Candidato



S M S I E E

Typis GEORGI DECKERI

Academici Typographi



REI LITERARIÆ  
ÆSTIMATORIBUS  
SECUNDA STUDIORUM VOTA  
OPTO.



UOTIES divini Numinis au-  
res, adorādam Serenitatem, Peren-  
nitatem, Æternitatem, quos titulos  
Codicis Justiniani Constitutio-  
nes admittunt, & simul Mundi va-  
nitatem, suis obnoxiam casibus,  
mecum confidero; toties humanæ  
gloriolæ deceptionem ac perennitatem, quæ præ-  
ter *Virtutem, Pietatem, Eruditionem* mera est fabula, in-  
dignabundus contemplor. Mortales sumus, qui  
adhuc sumus: qui desierunt esse, mortalitatis mise-  
riâ soluti, Nominis immortalitatem aliqui consecu-  
ti sunt. Præclarè *Valerius Max.* in memorabilibus,  
*Eum demum felicem esse, cui & accipere lucem prosperè &  
reddere placidè contigit.* Doctiores manet hæc felici-  
tas: acceperunt lucem prosperè, lucubrationibus  
vacant egregiè, donec obrepat somnus & vires eli-  
dat: tunc palma illa, aliquantum se inclinans, è pul-  
veribus prorumpit, ac primum vigorem tenet. Is  
quoque, qui suo ori indixit silentium, alieno loqui

honoriducit. Loquutus est ore *Ciceronis in Philippi-  
ca nona Servius Sulpitius*, cujus vita multis monumen-  
tis ad omnem memoriam commendata: semper il-  
lius gravitatem, constantiam, fidem, in Republ. tuen-  
da curam, Prudentiam omnium mortalium fama ce-  
lebrat. Nec verò filetur admirabilis quædam & in-  
credibilis in legibus interpretandis, æquitate expli-  
candis scientia. Tu Fautor benignissime, *Dn. Jo-  
hannes Jacobe Hofmanne*, Juris utriusque Doctor, Ju-  
ris Justiniani Professor, à Juris cognitione, quam  
penetrabas intimam, & ab integerrimâ mente Pa-  
triæ, Advenis, ubique commendatissime, fato eheu!  
functus es:

*Optavi peteres cælestia sidera tardè  
Parsq; fui turba parva precantis idem.*

fato eheu! functus es. Te tamen *Servii Sulpitii* enco-  
miasten nunquam desiderasse habeo certissimum.  
Sat dixerit, qui te bonum *Patriæ*, nunc pium *Cælorum*  
Civem dicet. Pereant, ut inter Ethnicos, mortui,  
intereant utensilia, tota supellex igni subjaceat, te-  
stentur amicitia propiores adfectum & dent

*mæstas manus in exsequias;*

Verùm in vivis censuisti affectum, tuam sinceritatem  
nos æstimare, quâ nulli invisus, omnibus gratus eras.  
Accipe obsequium, querelæ tristicinam. Sub-  
sume testimonium, quo in sepulcreto, an in Acade-  
mia, te deploraverim, scitis, qui è Cathedra me au-  
divistis; qui non audivistis, addubitetis meritó. Et  
mea verba videbantur degustare Æternitatem & vox  
in publicum balbutiens finem næniæ includebat,

*Mortue,*

Mortue, dixit :

Mortue, dixit, ubi es, quâ te regione requiram

Mortue?

Deus te suscepit in *Palastinam Israël*, nos ordine læti sequemur.

Cur autem, *Rei literaria Estimator*, hanc Orationem meam vobis dedicem, ut prius calamitatem à multis diversitatem in scriniis detinui: ita me festinantio-rem facit interrogatio quorundam ex vobis, quâ cupiunt orationem vel me communicare, vel properè prælo submittere. Fortean ut Authores, qui sententiis opem tulerunt, indigitem; at suam elegantiam saltu- atim præbentes ignorari volunt. Satisfaciat, sub tot Clarissimorum Professorum, Reverendorum Pastorum, Nobilium Exterorum, & confluentis Juventutis intuitu, me quasi in stuporem, pigræ tenuitatis conscium, mutatum placuisse, ac esse è vobis plurimos, qui excitato cursui abblandiuntur. Ne tamen omninò nihil videatis, videtis Eloquentiæ infantiam, quam à puero adamavi, quamq; adhuc pusionem in cunis jacentem, teneris fasciis evolvo. Vos protinusevadendi, quum diu sermone proletario circa ima substiterim, intentionem laudabitis. Valete Viri mei amantissimi, majorisve abollæ meditamina expectate. Scribebam in Musæo die Sept. 22. Anno 1644.



**M**AGNIFICE Domine Rector,  
Reverende Ecclesæ Antistes: Proceres  
Academici Venerandi, Amplissimi,  
Excellentissimi, Sapientissimi: Fau-  
tores, Præceptores æternanti obedientię  
cultu observandi. Auditores ceteri Re-  
verendi, Prudentissimi, Nobilissimi,  
Gratiosissimi: Tuque virescentis Ju-  
ventæ Palma florentissima.

Subsidere paululum mœror vester, Auditores, debuit & sol-  
vere acerbitatem, quam triste nuncium attulerat, trium ferme  
septimanarum intervallum potuit. Vereor ut recrudescat mo-  
le suâ nimius, aut nondum erectas esse mentes, quas Pietas  
loco deturbarat. Vix induciæ, coactâ alacritate inicitæ, moram  
obtinent: omnia, dum urgetis silentium, in apertam calami-  
tatem erumpere videntur. Semper idem vulnus medentium  
manus reformidat; adhuc recens sui emendationem, nunquã  
coaliturum fomenta respuit. Fatalis, eheu! dies sensum adi-  
mit, sapientiam tollit, viis humanis inambulatur, vires dissipat,  
anhelitus perseverantiam fugat, corporis ergastulum demo-  
litur. Brevis est ætas, rara senectus, certum in saxi interitum,  
bustum tot regionum decidui fastus acerâ testatur. Cadunt  
homines, monumenta fatiscunt. Principes hujus Universi  
magnis cogitationibus pectus impleverint, longius à destina-  
tione credulâ jacent, ac de portentosa nave, quæ imperium  
vexerat, ne tabulam quidem naufragi habent. Dedit hoc se-  
culum Mavortia fulmina, quæ cunctis, pacem amantibus,  
eliciebant præconium

*Religata catenis  
Jam pridem vestro sub pede bella jacent*

dedit

dedit & ademit; adimit quotidie

*vultuq; cruento*  
*Mors armata sedet.*

Hæc bella rapiunt; multos aquæ hauriunt, plures incendia devorant, partem ægritudo cubili sternit. Etiam vitæ periclitantur tanto casui invidendi, Heroës Academici, qui Justitiam in justis, Prudentiam in prudentibus, Fortitudinem in fortibus, in temperantibus Temperantiam demirantur. Ita ne Virtutum fulcra immissæ putredinis tabe ruunt? Responderemus lubentes Lachesi, si liberalitatis opem nobis offerret, cum Diogene Cynico, hoc petimus, ne quid eripias, Solem redde, quem intercipis. Quem nuperrimo ausu interceperit, ut vobiscum querimoniâ recorder, præit P. Valerius Publicola, qui primus Junium Brutum oratione funebri laudavit: animat cultus & veneratio, quam M. Alexander Aristoteli, Cato Sarpedoni, Antoninus Frontoni, Proculo, Rustico, Arcadius Arsenio, Jacobus, Serenissimus Anglorum Rex, Buchanano detulere. Imperat denique innocentia Personæ, quam augustissimæ huic scenæ sistimus. Me nulla oratio, oratio est Marii ad Quirites, lædere potest; quippe vera necesse est bene prædicet, falsam vita moresque mei superant.

Vos, Auditores, quo estis ordine, Gratioli, Magnitudinem deponite, Humanitatem occupabo. Concedite huc pii Manes, diem Septembris primum vestris suspiriis promitte: mihi proloqui non expeditum, vobis attendere grave est. Executi sumus die Sept. quarto funerale munus Christiani aspernantes Celtas, alios per Illyricum, Germaniam, Galliam, Hispaniam & Britannicas Insulas veteres populos, qui corpora Clarorum Virorum lignis cremabant, à cineribus lignorum discernabant, neve conciderent, adhibiti custodes unciis hamisque præveniebant. Executi sumus Discipuli, nec cum Meroitis cadaver circumfuso vitro intra penetralia domi collocabamus, nec, quod horrendum, in flumen Nilum abjiciebamus. Executi sumus Præceptoris Liberi, diversi ab Hibernis, quippe Parentum defunctorum corpora

epu-

epulando consumebant. Belgæ hodie obliterando utcumque dolori propinquis & familiarium intimis magnificè epulum exhibent. Executi sumus Comites, nec in nobis Thraces, qui hilaritate exequias peragebant, conspiciebantur. Executi sumus testes, nec insignia honorum, quos gessit, ut quondam fasces, secures, arma, dona militaria, omnis generis coronas, vexilla, urbium ac legionum munera, hostium spolia, expressos cerâ vultus, Majorum decora, familiæ totius ab ultima origine simulacra, in oblongis perticis, prolixo ordine præferebamus. Executi sumus vocati, & post Hebræos, Chaldæos, Persas, Derbices, Trogloditarum nonnullos, exanime depositum terræ mandavimus, terræ mandato terram injecimus, an supra terram, an infra putresceret, Stoicum illud stolidum existimantes, atque illorum illudentes luxui, qui struem rogi, vestibus, fumis, odoribus cumulabant. Ægyptii condiebant cadavera myrrhâ, aloë, cedro, melle, sale, cerâ, bitumine, resinâ, unguentis. Vera modò tribuissent elogia, secretum oculuissent luctum, hoc demum aram sepulcri arboribus congerere, hoc est, Cælo educere. Haud opus erat vespillonibus, minùs vespertini temporis quies adhibebatur. Nulla conducebatur heic præfica, præfica nulla mortuum collaudabat, nulla cæteros modum plangendi monebat, nulla ejulatus irritamentis detonabat. Pro præfica aderant Propinqui, Affines, Amici veste atrati, capite demissi: uxorem superstitem viduam lessu vacuam, singultu redeunti obrutam, crinibus passis, negligenter mox rejectis, mox ignoranter tortis confusam, longo insequenti agmine, alba involuebant tegmina. Ii, qui humeros supponebant, mortis trophæa, Doctrinæ magmenta, objectum nobis Junioribus exemplar trutinabant: qui propter semitam intuebantur, lacrymas noluerint, lacrymis sponte succubuerunt. Ne autem parentantis orationis flumen angusto nimis decurrat alveo, fato concessisse & præclaris vitæ documentis concessisse paucis Dn. HOFMANNUM nostrum virtutis cum doctrina, Juventutis cum reliquis annis unione palam faciam.

Ordiam ab anno, quo millesimo, quingentesimo, nonagesimo primo natus est: ego nonagesimo Parentem, quòd spiritem, no-

rem, nonagesimo primo hunc Parentem, quòd inter Literarum præstantes spirare audeam, nactus sum.

Patria erat *BASILEA* nostra, quam Dominicus Marius Nigler Venetus in Commentario Geographico Breutomagum, illius Cives Tribones appellat. Condità Anno à Servatore trecentesimo septuagesimo quarto autorem Valentinianum Imperatorem refert. Ab Ænea Sylvio, fundatore inclutæ hujus Academiæ & Pontifice Romano agro feraci, ubere glebæ, vino & tritico commendata, ab Ortelio memorata, à Guilielmo & Johanne Blaeu reculta, à Philippo Cluverio & Francisco Guillimanno Basilia, à Bertio amplissima, à Caspare Dornavio florentissima, à Molitore præclara, cui parem inveniri haut credit, à Simlero Rauracorum caput, ab Eremita structuris superior, à Lansio amœna, ab aliis ob Concilium sub Eugenio Papa celebratum, à Martino prius institutum, celeberrima dicta.

Inter Helveticas hanc extollimus cū Cornelio Tacito, olim armis, virisque, mox memoriâ nominis claram. Mihi, cui omne solum patria est, extra quælibet pomœria relegato, in campo deserto, trans sylvestria adacto, si gratia renideret, Basilea, quæ excepit, Basilea, in qua Infantia vagiit, Basilea, in qua pueritia ludit, juvenus exercita est, foret gratissima,

*Bajis præluceat amœnis:*

Non quia mea est, non quia D. HOFMANNUM peperit, sed quia mea, & quia in HOFMANNO, quicquid Natura potest, portione majori parere voluit. Est præterea incolatus Erasmi Roterodami, infinitâ lectione, sagaci memoriâ consummatissimi. Est vagina ingentium omnis Sapientiæ Fautorum, facies Athenarum, Oecolampadii, Hotomanni, Zuingerorum, Bauhinorum, Platerorum, Grynæorum, Brandmyllorum, Wollebii, Buxtorfii, Lucii, Musagetarum aliorum dormitorium: quodque lapidum congerie, platearum latitudine, suburbanorum jucunditate, frigidissimo fontium liquore, ædificiorum structuris, Templorum turribus splendidius, est *BASILEA* Indigenarum delectus, tranquillitatis amplexus,

veræ Religionis Delubrum, perennitatis Capitolium, fœderis cum cœlestibus ara.

Historiæ proditum est Medicis olim ad commendationem artis suffecisse, si probarent, se Alexandria vixisse; sufficiat nos femina, quæ in Basileensium agello depanduntur, ab hac nutrice lac suum, & firmiores radices suum pabulum derivasse.

Parentes erant JOHANNES HENRICUS HOFMANNUS, JUSTINA Gebweylerin/ ille Senator & Scholarcha prudentissimus; hæc beati sexûs fœminei schola. Familia est integerrima, quæ in ipsum transit pura, quæ in ipso inchoavit, ignominia purissima. Mehercule generis insignia, nisi possessores stimulent, sceleribus potius prona, quàm à virtute propiora sunt. Hinc continuare est pulcrum, aucupari ad exempla mediæ familiæ inusitata affectum id verò pulcherrimum est. Ludovicus XII. Galliarum Rex rogatus causæ Benedicti Scaligeri adversus Venetos patrocinetur (illi enim Veronam aliaque oppida Scaligeris extorserant) Non his, respondere, mihi opus est, qui pro divitiis titulos & tumulosavorum demum ostentare soliti sunt. O mentis aureæ dictum bracteatum! ô Persii sententiam feliciter exscriptam!

*Hoc satis, an deceat pulmonem rumpere ventis,  
Stemmata quod pulcro ramum mille sine ducis  
Censoremq; tuum vel quod trabeate salutas  
Ad populum phaleras.*

Ecquid vetus profapia, ornatus triumphales, quid apparatus Consulares, Magistratuum fasces, Regum trabes, Etruscorum Curules, Equitum annuli, togæ pictæ, tunicæ palmatæ, hastæ puræ, vexilla bicolora, pallia proconsularia, subarmalis profundus, sella eborata, Pontificum galerus, Augurum lituus? si melius fuisset Romulum, Numam Pompilium, Camillum, Scipionem, Tullium, Catones liberis eguisse. Severus Septimius Bassiano, Manlius Torquatus Decio Syllano, Brutus Tito & Sempronio subnascentem vecordiam fleverunt. Apud socordissimos Scythas Anacharsis sapiens: apud Athenienses catos Meletides fatuus. Mejere patrios in cineres,

neres, qui vile oleant, premere vestigia, quæ recti orbitam calcent, utrumque suâ sponte egisse nostrum primigenia indoles portendebat. Cui non dictus Hylas puer? sub collo nutantem, in ulnis gestientem, intra gremium lusitantem, cis genua proclivem materna suffulsit manus. Habuit vicinia, quo tædium recrearet: turba mulierum, juxta quem futuræ prolis effigiem optaret: ipsa natalis domus pueruli agglutinare labella, comprimere ocellos, delibare genas, explanare adductam frontem propitia hæc munia summæ ducebat voluptati. Incubuerit Parenti difficilior anxietas, vocis fragmina applaudendo Parentis anxietatem HOFMANNULUS subjugabat. Coxerit matrem ardens officium, ultrò parere hanc frigidam identidem obsipabat. Fuerit vagitu miserabilior, displicuerit pavore subitaneo ambiguus, iterum umbellam lætiorum propinabat, mox instaurato gaudio, extensis brachiolis, balbutienti parvo gutture Parentum utrique ridebat. Intellegebant adhuc infantem, eluctantem sine verbis sermonem capiebant. Cingebat præcordia testula ingenuitatis, imbuta decori elementis, recens pullulanti flore: inviolatum odorem flos ille servabat. Ingenium erat præcoci vigore & indicio solers, provectius suis annis, nec miserius titubabat. Non equidem mater ejus, quod de Lipsii matre narrant, puellum duos, mirè candidos per cubiculum inambulantes, mutuumque se complexos vigilans atque exsomnia vidit. Non velut Æneæ auxilium precanti, ut ad aureum illum ramum perveniret, huic apparuerunt duæ columbæ volantes, quæ locum ostenderent. Non Antistites aut Vates insignibus pavidi, infulis celsi clamabant, Juvenem supra humanum modum raræ pulcritudinis, comitesque ei duas armatas virgines ex propinquis duabus Dianæ Minervæque ædibus occurrisse: non Castorem & Pollucem albis equis insidentes è Valerio M. nunciare & eodem figmento somniare HOFMANNULUM à modestia obsessum, à doctrina expugnatum. Ominata est mater, sensit pater, adesse Dei præsentiam, quæ benignitatis aspergine emicantes impetus moveat, tueatur, conservet.

*Ingenium caeleste suis velocius annis*

*Surgit & ignava feri malè damna mora.*

Properat ad Educationem, cujus laborem an Ieporem susceperint, quædam intuta, an omnia tuta timuerint Parentes, est de quo dubitemus. Facile sigilla imprimimus ceris; facilius huic prævisæ aptitudinis præludia infigebant. Obvium est senioribus consuetudinem malè agendi se ab unguiculis sensim insinuare, nec firmius cum annis desiderare robur, quod annis primoribus nanciscitur maturum. Scimus vitia adulari, celerem nequitiam subrepere, sine magistro suos fautores adipisci. Fateantur facti ad lubricitatem, occulti in luxuriam, pigro otio resoluti, si spei ædem in foro Romanorum olitorio scrutentur, illam fulmine ictam convulsam esse. Ipse Pater, qui lubricitatem, luxuriam, otium pigrum indulget, semet increpet,

*Frustra operam perdo, potuisset virga moveri,*

*Cum nondum staret viribus aucta suis:*

*Nunc robur mora longa dedit, citiusq; fatiscet,*

*Quàm queat in formam flectier illa novam.*

Quò pejùs peccavit M. Antoninus Philosophus, qui in filium Commodum, & quidem scelestum atque impurum citò nomen Cæsaris & mox Sacerdotium, statimq; nomen Imperatoris, verba sunt Capitolini, ac triumphus participationem & consulatum contulit, qui tamen adhibitos vitæ suæ custodes ferre non potuit, pessimos quosque detinuit, & submotus usque ad ægri tudinem desideravit, quibus per patris molitiam restitutis popinas & ganeas in palatinis semper ædibus fecit; neque unquam pepercit vel pudori vel sumptui. Longè probioribus boni ominis venustatibus afluens noster creditus est Viris Optimis, ac rudi ætatulæ Præceptoribus indulgentissimis, qui tironem effuso sinu invitabant, à desperatis scammis distinguebant, non cum Antisthene clavâ abigebant, spectantes in eo desiderium, posse & velle in Sapientiæ arcana penetrare, unicum. Inflammabat cognitionis amor, insitus

motus

motus suaviorem gustum præbebat. Mirabantur insuper ver-  
recundiam, quæ frontem tingebat, innoxiam, quam excute-  
re, donec excussisset otii vel apparentis ignaviam, noluit:  
tunc agnitâ ignorantia ingemiscere, ac lacepsitus faustâ indi-  
gnatione animæ solitudinem promptis induviis adaugere cœ-  
pit. De Thucydide Suidas, eum adhuc puerum, cum He-  
rodotum historias recitantem audivisset, gloria incentivo  
violentum lacrymas prodidisse, iis motum Herodotum, illud  
Oloro Parenti insufurrâsse: ὀργᾶ ἢ φύσις τῆ ψῆ σὲ πρὸς τὰ  
μαθήματα: Thucydides autem post illum Herodotum, Ci-  
ceronis autoritate, omnes dicendi artificio facile vicit; qui  
ita est creber rerum frequentia, ut verborum prope numerum  
sententiarum numero consequatur; ita porro verbis aptus &  
pressus, ut nescias, utrum res oratione, an verba sententiis il-  
lustrentur.

Juxta verecundiam comprobabant tironis æmulationem,  
quâ Demosthenes studiorum socios, Æsionem Atheniensem,  
Theopompum Chium Tiro superabat: Hiperidi, Æschini,  
Dynarcho, Phocioni, Callistrato, Juvenibus egregiis, pal-  
mam dubiam faciebat; & noster sollicitus, nisi antecederet,  
priors loco deponere; posteriores à tergo relinquere id ope-  
ram dabat. Quæ sensu diurnoolvebat, ca sopito reddebat  
quies.

*Venator defessa toro cum membra reponit,  
Mens tamen ad silvas & sua lustra redit;*

Sic dormivit, ut tamen largiori oblivioni non indormiret.

Detergo tandem pulvere scholastico nequivit amplius sus-  
pendere consilium, cui nova materies, publica in Universita-  
tem admisso, accedebat.

Conciliavit rursus Præceptores, quibus nascentem sui fi-  
duciam donaret, jam mitis, jam integri moris mansuetudine  
compositus, jam procul ab offensis, quibus ferulacea ira gras-  
fatur, subibat obsequium. Extra limen Gymnasii prolata  
industria, ubi erroribus modica, angustiis onusta delituerat,  
nihil omnino addidit, quod nescisse rectius fuerit. Quæ

veritas admonuit, iis assensit; quæ falsitas torfit, iis oblectatus est. Tulit molestias, nec contabuit: hausit formidinem, nec deliquit: explavit cupiditatem, ut futilem detestaretur.

In multis videre est literati angoris continuationem gratiam corpori subtrahere, habitudinem tenuare, succum forbere, colorem obliterare, vigorem debilitare, pristinas absumere facultates; gratiam ille peperit, gratiam in succum transcripsit, succum colore, colorem purpurâ, purpuram vigore, vigore mentis facultates expressit.

Vitavit multa incommoda Philosophiæ initiatus, quorum prima, quibus funguntur illi, quos rancida Scholasticarum subtilitatum officina, pene dixissem cloaca, officiiis suis collutulat, fœdat, inquinat. Sanioris usûs compensatione illa lenivit, rancidam Philosophiam derisui dicavit, & meâ sententiâ stultus, qui hujus temeritatibus calculum addit; ineptus est, quem hujus intemperantia rapit. Si quem obstipa hujus arrogantia fascinat, fœnum porrigimus, quod mandunt transeuntes in animalia, vix humani sensûs retinentes, carduos ministramus, nullos asellos, nisi Veterum coctos, quos præ reliquis diariis in palatum deducebant, in Sapientiæ campum, ne aures senticero hæreant, admittimus.

Quî posset talis Philosophia esse vitiorum expultrix, quæ vitia probat? Quî urbes parere, quæ meris rusticitatibus scatet? Quî dissipatos homines in societatem vitæ convocare, quæ mentem dissipat? Quî literarum & vocum communionem jungere, quæ literas odit, cum Getarum gente vocum communionem alit? Quî tribuentur encomia, tribui solennia? Eam esse inventricem legum, quæ disputationum leges insuper habet? Eam esse magistram morum & disciplinæ, quæ ventilationi subdit, An mus hostiam arrodens, sit excommunicandus? An à Sacrificio devorandus? An exenterandus? An in muscipula adorandus? lubens execranda silentio involvo. Eam esse vitæ tranquillitatem, quæ Sententiariorum, Summulistarum, Quæstionariorum, Quodlibetariorum, Thomistarum, Scotistarum, Occanistarum, Meyronistarum, Bielistarum, Durandanos, Bonquinquanos, Paludanos, Raymundanos; Alesios, Holcottos, Briçottos, Maffretos, Bruleferos, singulos mirabilia

Bilia prodigia nutrit; & hodie torvis superciliis ostentat. Eam vitæ tranquillitatem largiri, quæ perpetuâ contemplatione vitæ ordinem miscet, pertinaci latentium in natura potestatum indagine Magiam colit, obesos Majales è cinereis suis eucullis protrahit? Næ prope statuam, quam Albertus Magnus, volebam nuncupare Magnum, ad vivi hominis imaginem construxit, ut libramentis quibusdam ac rotis linguarum machinarum disciplinâ moventibus verba articulatè pronuntiaret, næ, inquam; totis artibus contremiscerem; aliam vitæ tranquillitatem, quàm quæ triginta annos in momentaneum opus impendit, amat sapiens. Eam denique terrorem mortis tollere, quæ mortis terrorem adfert? Quæ Epicuri Atomos, Heraclii ignem, Thaletis aquam, Anaximenis spiritum, Empedoclis discordias gesticulationibus insolenter vibrat? Quæ stupidis implicat opinionibus, cum furentibus despicit, maximis Scriptoribus impos refragatur. Cui, amabò vos, quando perlustraret bonorum librorum suppellectilem, Attici Bibliothecam, Amaltheam vocatam: dein cum blattis & tincis horum Philosophorum pugnatum iret, cui non mortis terrorem incuteret? Incutiunt sesquipedales illi tituli, Doctores Angelici, Cherubici, Seraphici, illuminatissimi, profundissimi, irrefragabiles, aurea candelabra, Sacrarum Literarum Gazophylacia, putei divinarum Scripturarum, Mundi radii, Literarum Oceani, fontes vitæ & Monarchæ Theologorum, scilicet sunt lixæ exercitum sequentes, quos scimus, semper doctos excipio, sub indusiis turpia sectari: utinam eluerent! Egredere faucibus meis immanis nausea, segniùs incubans raucedinem contrahis.

Proin Studiosus noster, quò certius Philosophiæ cursû vadimonium constitueret, & liberius spatium dilaret, primam & secundam Lauream vertici arrogare hanc curam infumpfit.

Lauream primam adeptus est Anno millesimo, sexcentesimo nono, die Maji decimo octavo, Promotore Dn. Joanne Georgio Leone, Symmistâ Joanne Brandmyllero, Agnato meo observandò, nunc fidelissimo Mulhusii Concionatore cum duobus aliis, inter quos primatum obtinuit.

Secun-

Secundam anno millesimo sexcentesimo undecimo, decimo tertio Augusti, sub Dn. Samuele Coccio: nec biennium, & quod excurrit, progressus tarditatem interpretemini, pleno amplexu suas in Philosophia Divas ambibat, morem vituperans eorum, qui velocissimo cursu Laureas præveniunt, dein à Philosophiæ adytis, ne forsan furores imbibant, se ipsos deterrent; immortales futuri, si per desidiam ad immortalitatem via pateret.

Binâ hac impetratâ Laureâ Philosophiæ alumnam Eloquentiam veneratus est, animo præfagiens officium, cui electio Professore addicebat. Censuit eximiam, quam initio genus humanum in montibus ac sylvis desertum disertorum oratione congregasse, oppidis, mœnibus sepsisse nescia tradit antiquitas. Novit illam rotundam, numerosam, Majestatis plenam, æstate callidam, hyeme calidam, in populo miram, apud Summates præpotentem, unius fastum retundere, multitudinis fragorem ludibrio exponere, scelerum fibras evellere, stirpes elidere, semina extinguere: reducere vim Cesaris, Galbæ asperitatem: diligentiam Pollionis, Calvi judicium: subtilitatem Callidii, Bruti gravitatem: acumen Sulpitii, Messalæ dignitatem: copiam Senecæ, Afri maturitatem: jucunditatem Catuli, Secundi elegantiam. Scripserit Empedocles carmina, Plato Dialogos, Socrates hymnos, Epicharmus modos, Xenophon historias, Xenophanes Satyras, Aristoteles hæc omnia; hæc omnia uno spiritu, quasi torrente, eloquentia contorquet.

Cùm Romani Sabiniq̄ue, quo genere nullum quondam incorruptius, in media valle duorum montium redintegrasent prælium, resq̄ue Romana esset ambigua, tum Sabinæ mulieres, quarum ex injuria bellum ortum erat, crinibus passis scissâq̄ue veste victo malis muliebri pavore ausæ se inter tela volantia inferre, ex transverso imperu facto dirimere infensas acies, dirimere iras, hinc patres, hinc viros orantes, nos causa belli, nos vulnerum ac cædium viris & parentibus fumus; meliùs peribimus, quàm sine alteris vestrum viduæ aut orbæ vivemus: manifestantem hæc facunda authorem, hæc liquentia mella Livium, quem tempus, temporis pedis-

sequa

se qua veritas retexerunt in ipsis fragmentis, acquisivit: saepe Sallustium, subtilissimum brevitatis artificem, in Sallustio Catilinam, in Catilina oris illecebras, rem jam pridem, fidem nuper deficientem cohorrui & amavit. Florum dicendi munditiis efflorescentem, tanquam relictum pridiani operis pensum, avidissimus revolvit: tempora, quæ continebant Crassum genere, divitiis, dignitate munitum, Cajum Cæsarem, eloquentiâ & spiritu allevatum, Pompeium super utrumque eminentem, invicem contendit. Senecam Latinitatis peritissimum non contemptui, quasi commisiones meras componeret, & sine arena calx esset, quod de Caligula Suetonius, objecit: politis moribus, lenocinantibus sententiis, limatiùs flexâ periodo, frequenti stylo asseruit. Te pene præterissem Cicero, tuę Reipub. Consul meritissime, Parens patrię prime. Te Cæsar, qui eodem vigore dixisti, quo bellasti. Te Tacite, quem Tacitus Imperator, quoddam Parentem suum eundem nominaret, in omnibus Bibliothecis, collocari iussit, & ne Lectorum incuriâ deperiret, librum per annos singulos decies scribi publicitus in Archivis iussit. Hos tres Autores, præ quàm Recentiorum imitamenta, legendo fatigare maluit. At enim tam diversis calamum madere coloribus, ubi intendimus ingenium, languoris plusculum, splendoris minus polliceri experimur. Igitur iudicio legisse, contemptu elegisse, eandem similitudinem fatietati imputasse animos Oratoris nostri terminabat. Indixit sibi non prævaricandi necessitatem, in variis inconcussus, in pugnantibus intrepidus, in dispersis collectus, in abstrusis attentus, in grandibus seipsum loquebatur.

Apud Tacitum narrat Agricola, se in prima juvena studium Philosophiæ ultra quàm concessum Romano ac Senatori, hausisse, prudentiâ tandem matris incensum ac flagrantem animum coercuisse. Noster in prima Juventa Philosophiam hausit, mox prudentiâ suorum incensum ac fragrantem animum intra Eloquentiam & Philosophiam aliquandiu coercuit, tenuitque, quod est difficillimum, ex sapientia modum.

Allubescat ultra hæc Viri celebris duo præcipua in amœnum exspatiari oblectationis pratium. Noster se diffudit, quan-

do languebant negotia , in Poëfin , severitatum profugus ,  
tradux Poëtarum propago

—*sive chordas Pindarica Lyra  
Aut Flaccianum tendere barbiton*

volupe fuerit , pangebatur nullâ culpâ deprehensus in carminibus  
Charitum effigies , formosarumque sororum ,

*Quas utero Eurymone Mnemosynê , tulit.*

His numeris Poëticis & Mathefeos dimensiones adjecit ,  
penitiùs terrarum orbem contemplatus .

*Jupiter , ut perhibent , spatium cum discere vellet  
Natura , regni nescius ipse sui,  
Armigeros utrinque duos aequalibus alis  
Misit ab Eois occiduisq , plagis .*

Hic Jove potentior contraxit oppositos volatus , quantum  
creârit Deus , in tabula delineatum digessit . Innocuerat ei  
causa , ob quam adversum Parthos infelicissimè pugnârat  
Crassus , locorum imperitus , intervallorum incertus , se solo  
confusus infelicitatem anticipavit .

*Litora quot conchas , quot amœna rosaria flores ,  
Quotq , soporiferum grana papaver habet ?  
Sylva feras quot alit , quot piscibus unda natatur ,  
Quot tenerum pennis aëra pulsat avis ;*

Tot deliciis captus , tot Mathematicorum commerciis ille-  
ctus laxæ manûs recreationem fovebat : quo tamen in nume-  
ris Poëticis & Mathefeos dimensionibus eum peccasse reor , (si  
quidem in discipulum peccare Præceptor potest ) parcus erat  
affatu mathematico , parcus carmine , quod rarum prælo dica-  
vit : judicio potior judicium nullius pati voluit , indignatus  
Mathefeos emendanda & abundantiam , quâ , leviores sint  
nugæ , Poëtarum se Phœbum quilibet jactat . Concessum ei  
tandem

tandem Juri applicare sedulitatem ac votorum lanuginem  
robustioribus firmare: quod per tramitem periculorum & so-  
lidæ eruditionis usucapionem ut alacrius attingeret, Præce-  
ptoribus usus est publicis & privatis, inter quos Excellentissi-  
mus Dn. D. Jacobus Burckardus, per triginta plus minus an-  
nos Professor, sat diu ludo inclusus, nunc rude donatus, sub  
quo, Anno millesimo sexcentesimo duodecimo, mense De-  
cembri l. i. ff. qui testam. fac. poss. publicè sustinuit.

Ut verò alios Commilitones politos, doctos, cuique obser-  
vatos extolli vidit, noluit esse terræ unius mancipium, in ex-  
teras regiones vultus produxit: observavit malaciam maris &  
animi: ejectionem æstus & animi: prærogativas ventorum &  
animi: offensiones procellarū & animi. Vidit deformia terræ &  
vitiourum: fœda paludis & vitiourū: obscura sylvæ & vitiourum.  
Discrevit cultum & ignaviam, vestitum & arrogantiam:  
sermonem & taciturnitatem: gestus adscititios & decentes: a-  
ctiones cæteras cum spectatis actionibus æquavit. In artus  
vestros revertite Plato, Pythagora, Democrite, Lycurge, qui  
abditæ doctrinæ fontes à cultis, inter barbaros, hianti ori liba-  
stis, spernatis licet præ vobis Germanicum Cæsarem, qui visâ  
Græciâ, Thraciâ, Americâ, Asiâque orâ in Ægyptum profectus  
est. Nihili æstimetis Paulum Æmilium, qui post subactam  
Græciam loca nobiliora lustravit. Rideatis Agricolum, qui  
Mafsiliam, Galliæ Narbonensis urbem, sedem ac magistram  
studiorum elegit; Nostrum ita peregrinatum esse, tam illustri  
intentionis acie, ut peregrinis peregrinus, Gallis Gallus, Ger-  
manis Germanus, Basileensibus Helvetius, undecunque in-  
struētissimus repertus sit; id oculis vestris subjicite.

Reges esse oportuit, qui viatico pedes euntis excitarent.  
Henricus IV. Rex Christianissimus, pacis Gallicæ Restaura-  
tor fortissimus, largitus est viaticum, quo captum præ multis  
Academiis cepit Biturigum, Cæsari Avaricum, urbs Andreâ  
Alciato, Francisco Duareno, Francisco Balduino, Nicolao  
Bougerio, Nicolao Russardo, Hugone Donello, Francisco  
Hotomanno, Antonio Contio, Jacobo Cujacio, Johanne

Mercerio, Francisco Raguello, Ægidio Hortensio, Johanne Rencardo, Antonio Bengelo, Jacobo Mercerio, singulis Jurisconsultis clarissima.

In hac Academia qui demum cunque in arenam cum nostro descenderint, sæpe sus Minervam, inferiori superiorem sæpe est aggressus; nemo nostrum supergredi valuit: Anno millesimo, sexcentesimo decimo septimo, quo mihi in hanc auram oriri datum, patrios fines repetiit, re & nomine planè aulicus dulcis HOFMANNUS, ut suavitatis partum in populo defœcati dixerint.

Sermo ejus, quo Sacratice excellunt, lenis, cui inerat lepos; nec verò, tanquam in possessionem suam venisset, alios exclusit, potiùs vicissitudine utendum credidit. Lenitatem juvit comitas, quantam qui oculis non subjecere, animo non concipiunt. Ut peregrè profectus non uliginis paludum vel inculta montium: non hærentia cœno fossisque impedimenta, vel limo tenacia: non humida lubrico-lapsantia, vel nimio æstu pulverulenta: non visa in arduo, aut cacuminum abrupta petebat; sic à peregrinatione plano gradu pergebat, per seria, in jocis eandem notam colloquio arguebat. Condimenta verò jocorum, quibus assuevit commessatio, invitum invitârunt. Sunt, inter quos Dominicus Baudius, qui obrectatorum malignitatè vituperant, quæ nihil aliud fugillare queat, quàm quòd nimis commodus sit convivator, & interdum largiùs aspergatur flore Liberi Patris. Sed ut Sertorii miles caudam equinam depilavit sensim carpendo; sic operam quotidie magis magisque dedit, ut diligentius viveret, & ad cæteras laudes, quibus invidiâ fremente clarus est postgenitis, temperantiæ virtutem & sobrietatem adjungeret. Sic Baudius de se ipso ad Academiæ Curatores. Concurrent omnes, non dicam, ut ille Satyricus, augures, haruspices, sed quicquid est ubique hominum curiosorum, qui in aliorum acta tam sedulo inquirunt, ut ea fingant, quæ nunquam fuerunt, nihil inveniet, quod in nobis carpere possit livor, quàm quòd interdum ad exemplum præci Catonis liberaliùs invitari nos patimur, nec semper consistimus intra sobrietatè veterum Sabinorum. Huic quoque peccatulo indies moderari conamur, & pulcrè  
proce-

procedit. Noster vovisset Baudio Clitorium fontem, è quo qui bibunt, iis vini tædium oboritur. Nullibi nec moderatius poculo incalescere exosa conniventia hortabatur. Quando jubebat necessitas in mensa accumbere, linguam potius aliorum, quàm dentes suos exercebat.

Abfoluto hoc vitæ, linguæ, mentis, virtutum stadio, speciminibus editis conspicuis, sub Amplissimo Dn. Doctore Johanne Jacobo Feschio patre, Anno millesimo, sexcentesimo, vigesimo octavo, die Julii octavo, Doctoris in Jure Cæsareo & Pontificio honores, immunitates, privilegia meruit: nec successu præmiorum id cum Themide matrimonium unquam deseruisse, sed geminum copulasse compertus est.

Eodem namque anno ipse jam formatus, ac iis annis, quos rigidum Peripateticorum dogma ineundo matrimonio præscribit, solo biennio minor, secretum cogitationis fructum de progenie formanda & uxore voto conformanda in pectus demisit, simulque interjectis duntaxat quindecim diebus, dum fervebat intentio, primam uxorem duxit Ursulam Burckardam, at inde quæ discordiæ, quæ contentiones, quàm frequens mentio dotis, quàm erecta ex æquo cervix? Nullæ, Auditores, discordiæ, nullæ, nisi legitimæ facis contentiones, frequens mentio dotis, quam blanditiarum voluptas supeditabat, erecta ex æquo cervix, ut tamè ex vultu mariti penderet. Speravit ab ea fœcunditatem, filiolum, qui in oculis, qui in osculis esset, & seriem generis HOFMANNIANI propagaret; sed eheu! speravit uxor, ne coram erubesceret, juxta filii agonem Anno 1631. expiravit.

*Vis vicit validè vim vivitare volentem,  
Vita victa caret vivificare volens.*

Secundam uxorem duxit Anno millesimo sexcentesimo trigesimo tertio Helenam Iseliam,

*Non in Amycleis sic exultavit arenis  
Pastor ad Idæas Helenâ veniente carinas,*

quàm ille secundo matrimonio subsilientem lætitiâ ostenta-

vit. Reliquit eam, reliquit luctu afflictissimam cum sex liberis, quatuor filiis, duabus filiabus, quem liberorum numerum communem habuit cum Dn. Matthia Berneggero, illustris eloquentiæ ac diffusi in immensam varietatem conatus Varone, eo ipso mortuo, quod hæredibus suis dividendum commisit, at consensu Eruditorum sibi mortuo semper superstes manebit. Hæc juventutis rudimenta, hæc paratioris animi alimenta, hæc virilis sensus argumenta locupletissima, quibus vitam privatam exegisse, id decorum, id rarum. At vitæ reliquum lare secreto contineri non debuit, justique atque injusti scientiæ publicæ admota Cathedræ, & voluntatem Doctoris & naturam cuius agnatam innuebat. Illi ipsi, qui existimationem, quæ laudi resonet, repudiant, publicæ famæ suffragia cupiunt, suâ solius persuasione non contenti. Quid enim Phidias similem sui speciem inclusit in clypeo Minervæ, cum inscribere non liceret? Quid prisca Philosophi, nonne in his ipsis libris, quos inscribunt de contemnenda gloria, sua nomina inscribunt? Licuit, Tullianam audite opulentiam, esse otioso Themistocli, licuit Epaminondæ, sed nescio, quomodo inhæret in mentibus quasi seculorum quoddam augurium futurorum, quo quidem dempto, quis tam esset amens, qui semper in laboribus & periculis viveret?

Doctor noster è Templo virtutis, quod exædificarat domesticum, in honoris publicum transiens Oratoriæ per annum admotus est. Vacavit dein ob unius discessum Professio Juridica; tunc Nostrum exceperunt salutatores, qui limina petitoris obsidebant; deductores, qui exeuntem deducebant; sectatores assidui, qui ejus latera stipabant: ille non datis congiariis, non præbitis prandiiis, non vilitate aliâ, nudâ securus meritorum conscientiam interrupta Juridicæ Facultatis fata reparare est iustus, Collegas reveritus unum majorem, æqualem unum.

Majorem, Amplissimum Dominum Doctorem Johannem Jacobum Feschium, liberæ Basileæ Syndicum, nunc Collegii Juridici Antecessorem Seniore, qui gloriosæ vocis confusus munimine, laborantium spem, vitam, posteros defendit. Ovidii acclamatione meliora fundam:

*O decus,*

*O decus, ô Patria per te florentis imago,  
O Vir, non ipsâ, quam regis, urbe minor!  
Sic habites terras & te desideret aether,  
Sic ad pactâ tibi sidera tardus eas.*

Nunc ob senium dimissum exceptit, servatâ tamen successionis lege, Filius, Vir, quotidianis experimentis, spectato iudicio, eruditione singulari nominatissimus.

Æqualem reveritus est, Dominum Doctorem Remigium Feschium, Jurisconsultum eximium: quorum amborum favorem quum plures flagitent, ego eximiâ favoris liberalitate fretus, quod aliud redhostimentum, nisi obsequium, conferam, non invenio.

Frequenter adspici D. Johannem Jacobum, frequenter audiri D. Remigium, utrumque suis nos extollere laudibus vim præceptorum obtinet. Philippi Melanthonis ætate in Septentrionali & maritima Germania Jurisconsultum reperiri miraculum fuit; tales reperiri, æquales paucis, multis majores & hodie miraculum est.

Adiit *Μακαρίης* noster nova pulpita, audientium coronâ circumfusus: quâ oculos differebat, confluentium admirationem stitit. Debemus huic Basilienses, quod institutione menti illapsum, debent Exteri, quod lectionibus oblatum, præter hos alii, quod aptis alucinationibus perplexum, licitis interrogationibus inductum, privatis exercitiis firmatum tenent. Plurimos geminâ ad tentamen & examen præparatione direxit, ut non tantum Rector Academiæ annuus, quâ Magnificentiâ Anno millesimo sexcentesimo quadragesimo primo inclariscebatur, sed indefessus discipulorum esset: quem admodum controversa dirimerent, docuit, pigritiæ eorum, ne insidiaretur, rubiginem tersit. Palam fecit agrestes Curios, veteres Coruncanos, exempla reverenda Fabritios, quum induciæ bellum suspendebant, inter aratra vixisse & depositis in gremium Capitolini Jovis laureis triumphales rusticatos esse, accepisse datas serentibus fasces, & missas cum Curulibus suis per rura palmatas: fuisse agricolas Consulares, Pastores trabeatos, Dictatores inter armenta vestitos. Recoluit Cyrum, qui  
omnia

omnia erat dimensus, cujus erant ordines, cujus descriptio, cujus manu arborum multæ erant satæ: ille non agricola, sed arbitris Consul: ille non trabeatus, sed animorum Pastor: ille non inter armenta, sed legum Dictator ob discipulorum quantitatem, alacritatem, ultimum publici honoris complemētum, nullā superbiā persuasus Cyri testimonio uti potuisset, ista sum dimensus, mei sunt ordines, mea descriptio, multos etiā istorum Candidatorum mea manus in publicum sevit. Cum primis verò, quod in omni facultate est palmarium, ordini innixus est, quem similem bellicis rebus ex Apuleio conjicere liceat. Nam cum tuba clasicum cecinit, milites clangore incensi alius accingitur gladio: alius clypeum capit; ille lorica se induit, hic galea caput: ille crura ocreis involvit, ille equum temperat, frænis & loris jugales ad concordiam copulat, & protinus unusquisque competens capefit officium: velites excursionem adornant, equites cornibus præfunt. Sic D. HOFMANNUS, quod cuique exequendum erat, imperitabat, infensus iis, qui magis ostentui, quàm ordini operam navabant, aut qui Autorem Juris Justinianum humiliori pretio metiebantur.

Afferuit Nomotheten sacratissimum à contumeliis, quas Invidia inuhsit. Trucidarit Vitalianum, dixit eos fuisse Vitaliani mores, tam inexpletam sanguinis hauriendi sitim, ut si eum à Justiniano per tormenta sublatum fuisse confiteretur, parum de causa periisse existimaret. Foverit Venetorum factionem Justinianus, novit populum Romanum in duas divisū factiones, quarum altera Veneta, Prasina altera vocabatur: sagacissimum proin adsumpsit consilium, factiones inter se committere, ipse Venetos, ejusdem uxor Theodora Prasinos: brevi alteros per alteros incolumi Imperio subegit. Oppresserit Hypatium & Pompeium, atrocissimæ seditionis Principes & tyrannidis invasæ reos eum oppressisse, eorum liberos non solum pro more à Majoribus accepto, non occidisse, verum paternis statim hæreditatibus donasse Nostro suggesserunt historiæ. Artabanem militiâ clarum, Majestatis convictum gladio ferire Justinianus noluit. Martinum, Orientis Præfectum in  
Guba-

Gubazem, Lazorum Regem, atrocissimi criminis conscium, cingulo, quam vitâ privare maluit. Belisarium Ducem, bis Imperii affectati accusatum, bis in jus vocatum, morti non tradidit.

Recordor aliquando Drexelium de recta intentione Præceptorum huic meo me monstrasse, scribentem, quis Belisarius sub Justiniano, tot victoriis illustrissimus Dux, tandem non gratiam tantum, sed & oculum utrumque perdidit, ad extremam mendicitatem devolutus. Næ contra Agathiam Myrri-næum illorum temporum testem mentiri potuit Procopius. Qui Justinianum lento simillimum asino traduxit, eum fabulosi hujus commenti pudere quo pudore potuisset? Sic verum falso opposuimus, testimoniorum religionem Græcorum neminem coluisse, juxta Flaccianam orationem edocti. Sic ille falsum Justinianum Justiniano vero, Tyrannum viro Principe, excelsâ Majestate socordiam vindicavit. Haut subsistere potuit animus rerum plurimarum capax, in Juris Feudalis latifundium se immerfit; cumque è discursu meo præsumpsisset, egere jacta fundamenta incremento & planiori ad cognitionem Juris Feudalis accessu, facilius, ajebat, maculas, quibus Doctorum opiniones sordent, lavari posse, si cum aliquot Adolescentibus domi suæ collegium privatum instituerem. Huic commodo dum serius allaboro, alium Dominum, cui fidelitatem Vasallus promitteret, meditatus est.

In dandis responsis integerrimus, perspicacissimus, celer & celebris fuit. Exprobrabat Lyfandrum, qui veritatem quidem mendacio meliorem, at utriusque pretium usu definiri insulse blaterabat: Agesilaum, qui justum, quodcumq; Spartæ prodesset, autumabat: Athenienses ultro professos, non se alias actorum suorum defensiones quærere, quam quòd sciant semper moris fuisse, inferiorem à superiore premi, & neminem unquam tanti æquitatem fecisse, ut ejus causâ occasionem extendendi Imperii è manibus dimiserit. Tiridatis, Armeniæ Regis barbari verè barbarum est, sua retinere privata domûs, de alienis certare regiam laudem esse: de suis, quan-

do veniunt in controversiam, certare regiam egregiam laudem Noster æstimavit. Increpabat subinde vultures forenses, qui longo litium sufflamine Clientes producunt, ut tandem vel sumptibus attriti, jus suum persequi non possint, vel moras pertæsi noxiis conditionibus pacisci cogantur. Ne aliqua pelluceret avaritia, Antisthenis Oraculum, Regis diadema, Diogenis peram, Imperatoris paludamentum pari pretio definivit, & quæ magni habet hominum cupiditas, soli necessitati acceptum ferre voluit. Servitutem hanc personatam, quæ si consistimus, tormentum; si cadimus, præcipitium est, abegit: animo volvens epigramma Johannis Stigelii, quod in suis Institutis refert Rittershusius,

*Non ut divitiis, non ut sis splendidus auro;*

*Non ut sis tituli magnus honore tui:*

*Non ut Sarrano videare superbus in ostro,*

*Dandam operam sacris legibus esse putes:*

*Verùm ut Justitiæ possis servire, tuoque*

*Officio præsto Civibus esse tuis.*

*Hunc tibi proponas finem: sic illa sequentur*

*Omnia, quæ verus præmia poscit honor.*

Damnavit tandem, quod damnemus omnes, sænora in Republica: quòd egenorum sudorem lambant, locata stipendia spolient, exiguos suppilent, postremæ crudelitatis damnavit: Non divitiis cum divite, non factione cum factioso, sed cum strenuo virtute, cum modesto pudore, cum innocente abstinentia certavit. Prorsus in omnibus & ad omnia collecto si adsedisset Thucydides, hunc alterum descripsisset Themistoclem, qui optima consilia habebat, & de futuris, quod eventurum esset, rectissimè conjiciebat, & quæ in præsentia in manibus erant, explicare poterat, & quæ non norat, non destitit inquirere: in obscuris autem rebus, quid melius, quid deterius esset, prospiciebat. Erumpam nunc, abrumperem lubentius, erumpam proh dolor! num in ululatus, insanorum sunt; num in reiteratam fletuum ubertatem, fœmi-

nas de-

nas decet. Erumpam ego in sollicitum questum, erumpam vobiscum, Auditores, in modestiorem memoriam, quâ funestum diem; primum Septembris, quidni Martii? diem Martium, crudelem, tangere necessum mihi est. Cadit hic dies in eum mensē, qui imbrium frequentia, turbatione aëris est nimius, lacrymarum imbre, quem nolentibus excivit Pietas, sedatâ prius mentis turbatione fuit nimius. Utinam hic mensis non Germanicus appellaretur, & fide Germanus nobis superesset! Utinam non Hercules, nec Hercules fuit! Utinam secundum Tacitum Imperatorem appellaretur Tacitus, & mortuum taceret! Amisimus felicissimum pietate suâ, cui divina destillabat alveare Epicteti. Semper magis voluit, quod Deus voluit: adjungi cupiit & adhærere illi velut affecla; cū illo appetiit, cū illo desideravit, uno verbo, quod Deus voluit, voluit; Quem Pietatis stimulum Magnificus Dn. Rector, Celeberrimus Ecclesiæ Antistes, Doctor Theodorus Zuingerus è fastigio densæ concioni expandit. Amisimus felicissimum cathedrâ, à qua non ornari, verum quam ornare studuit. Amisimus feliciorem Petro Cunæo promptuario illo omnigenæ eruditionis inexhausto, Academiæ Batavæ ac literarum pereuntium nobile fulcrum, quod encomium Claudio Salmasio tribuit Adolphus Vorstius: Noster annum quinquagesimum quartum ingressus, iste quinquagesimum tertium non excedebat; jam passim, quum agerem in Batavis, seculi sui Scævola, Papinianus, Ulpianus, aut si quod nomen honoratius est inter priscos, audiebat. Mihi ante sexennium, cujus tenerrimè memini, me dememinisse vellem, parario, Magno Buxtorffio, humaniorum literarum & meo Patrono, institutione privatâ notus, blando alloquio utilis, familiaritate apud tantos insolenti propensus, perpetim deprædicandus. Vah imbecilli errant, qui junioris ætatis obtentu promiscuum mortis arbitrium accusant. Soletur nos potius hoc è humanitatis compage exsilium non in ultimam usque senectam cunctari,

*Scire ævi meritum non numerare decet.*

Nimiùm vixit, qui lassitudine membrorum humi repit: Sat  
vixit, qui præter reverentiæ consuetudinem nullum usum  
commodat: vivere non ampliùs velit,

*Cujus Cygnéas imitantur tempora plumas,  
Insicit & nigras alba senecta comas:  
Et subeunt anni fragiles & inertior ætas,*

Et pernitas deserit & consiti fumus annis & onustum corpus  
gerimus: hinc tandem, diu precarium traxerimus spiritum,  
migrandum est. Arruntius cunctationem & moras suaden-  
tibus amicis; Non eadem omnibus decora respondit; sibi fat-  
tis ætatis, neque aliud pœnitendum, quàm quòd inter ludibria  
& pericula anxiam senectam toleravisset. Tu Uxor super-  
stes, Tu Thesea fortunarum comes, Tu Agatoclis marita pro-  
speris dubiisque focia, Tu corruens Arria, possessionum & sa-  
crorum omnium particeps, Tu derelicta Helena, mutua pri-  
dem concordia, Tu Iselia, puerperiis commendata, Tu Helena  
Iselia, quæ doloris illuvie amorem miscuisti, fuit, fuit tempus,  
quo nihil in domo tuâ conjugali dividuum conspiciebatur:  
nihil quod maritus proprium sui juris diceret; sed in commu-  
ne conspirabatur. Cessa plangere pectus, concutere viscera,  
mortui faciem efflctim desiderare noli: anhelas exulcera-  
tâ mente? recrea te, siste suspiria, sustine ejulatum. Ne quæ-  
re cum Adriano

*Animula vagula, blandula,  
Hospes, comesq; corporis  
Quæ nunc abibis in loca,  
Pallidula, rigida, nudula  
Nec, ut soles, dabis jocos?*

Virum cogita, sordibus exemptum, seculi tempestatibus sub-  
tractum, inter caduca, extra caduca admirandum. Virum  
tuum fuisse cogita, cogita has relictæ domûs vastitates tui fati  
esse indicium. Jehova morte afficit, & in vitam restituit: de-  
mittit

mittit in sepulcrum & educit. Tu es illa mater, quam libero-  
rum, ope paternâ destitutorum, subsidio seposuit: non tecum  
eodem decedere voluit sexhorio, quod contigit Judithæ Bran-  
dinæ uxori Dn. Jacobi Zuingeri, Philosophi & Medici Basi-  
leenfis Eximii, Magnifici nostri Rectoris, Parentis Magnifici,  
quem candidæ dotes albensibus alis in Cælum evexere, Judi-  
tham Brandinam; ad impenetrabilem Trini & Unius Solis  
intuitum dimidiæ diei antecessu præmisere. Tu mane, Ti-  
bi nondum cadenti maneant animi. Tu secuta huc-usque  
fuisisti morbi Dysenterici, quo maritus, quo focer Anno mil-  
lesimo sexcentesimo, vigesimo sexto, die quinto Septembris,  
Septembris Tibi luctuosissimi, extincti sunt. Vos Infantu-  
li, sexennis turba, sorti primigeniæ subducta, sorti, quam Deus  
ordinat, revertenti servata proles, rediturumne speratis in  
terras deciduum? ne circa lectulos anquiratis lectulo suo reconditum;  
ne fingatis vobis inania somnia, individuo somno sepultus  
jacet: ne metuatis errantem spiritum, Cælo supremus immi-  
net: ne suscipiatis celsitudinem, æternantis Gloriæ celsitu-  
dinem jam perripit: ne indignemini hanc lucem, lucis fu-  
turæ primordia habet. Qui gemitu liquidi tristiores auram  
lacebentibus, succinite patri de facie ad faciem contemplanti  
Deum:

*Est Cælum Solium, merces est vita, corona  
Gloria, Delicia Lux; Deus omne bonum.*

Vos omnes viva Candidatorum; manifesta Doctorum & so-  
lidior soletur expectatio. Sunt Amici Alexandri M. qui ejus  
Virtutis ac venerationis erant, ut singulos Reges putares,  
quippe ea formæ pulcritudo & proceritas corporis, virium ac  
sapientiæ magnitudo in omnibus fuit, ut qui eos ignoraret,  
non ex una gente, sed ex toto terrarum orbe collectos judica-  
ret: neque unquam ante Macedonia, vel ulla gens tam claror-  
um virorum proventu floruit, quos primò Philippus, mox  
Alexander tantâ curâ elegerat; ut non tam ad societatem belli,  
quàm in societatem regni electi viderentur.

Fac Deus ut officio fungentes conscientiam D N. H O F M A N N I induant: Fac Deus, ut omnibus in procinctu consistentibus resplendeat oratio, quæ resplenduit Friderico III. Pio, Comiti Palatino ad Rhenum, Bavariæ Duci, Romani Imperii Septemviro & sui seculi, quod de suo mihi largiatur Sibelius Theologus, Josiæ. Is unicè sibi suisque subditis de vera religione gratulatus est. Ac quum ante vitæ suæ finem sæpè testatus esset, se in agnitæ veritatis cognitione perstare, aliquot ante mortem diebus *ἀξιωματικόν* hoc dictum protulit. Evocet me Clementissimus Pater, quando volet: ego hilari lætaque fruar conscientia in Christo, cui ex animo servio: cujus beneficio hoc mihi videre contigit, ut in meis Ecclesiis & Scholis subditi ab hominum autoritate ad solum Deum adducerentur. Hæc eadem D N. H O F M A N N O resplenduit. Parati sumus & benè, si quando Deus Optime avocas. Parati sumus per tuam Gratiâ. Geramus nos Christianè in morbo, medicum temporis, corporis, animæ rogitemus. Addicamus nos humilitati ob agnitionem peccatorum: addicamus nos fiducia ob fiduciam in Christum. Adhortetur Poësis, quam moriens noster ab ægritudine derivavit creberrimam. Augustini patientiam cum eo stringamus in distichon:

*Ure, seca, me cade Deus, Deus & Pater ure,  
Ah anima misera parce Benigne mee,*

Stringamus devotione piâ distichon huic secundum:

*Blandiris simul ac cædis, solatur utrumque;  
Ne miser heu peream, ne quoque desiciam.*

Componamus nostumulo Excellentissimi Wesenbecii, Clarissimi Lucii, H O F M A N N I nostri, Posteritatis famâ mansuri Symbolo:

*Una sit in dubiâ tibi re medicina J.bove  
Cor patrum, os verax, Omnipotensq; manus.*

Fac

Fac D E U S, quoties molestissimum corpori onus, mor-  
bus imminet, cum nostro mortis Antagonista respondeamus,  
Bene habeo. Fac denique, ut tot bellorum minas  
evitemus, sub caduceo H O F M A N N I nostri,  
Domini nostri, nostri Professoris  
securi:

— *pax immissa per orbem*  
*Ferrea belligeri compefcet limina Jani.*

D I X I .



Sequuntur



Sequuntur duo AUTHORIS  
ejusdem,  
EPICEDIUM & EPITAPHIUM:  
Tertium est PASSERATII.

EPICEDIUM.

**V**Ox haret, gemitum per mœsta silentia ducit,  
Et lacrymas oculus rumpit utrinque suas:  
Materie confusa suâ, confusa sepulcro  
Cura labat, nigro torta sub imperio.  
Qui fueram Vatum cœtu suscepta voluptas,  
Frigidus in tanta morte recumbo dolor.  
Ceum moriente manu tristem depingo colorem,  
Pallenti nimium pallida fata tremunt.  
Ah! abiit, simul ah! abiisset cultus euntis,  
Quo nostros aliquid credidit esse jocos:  
Intuitu fido Themidi libantia sacra  
Fovit, prudentem sic decet esse Ducem.  
Absentem veneror, quia me direxit egenum  
Auxilii: manet hac justa querela, queror.  
Ah! quoties, toties, toties totiesq; redibit!  
Hofmanni nostris vultibus umbra redit.

Semper

*Semper in ancipiti respondent corda tumultu,  
Te crebris tenebris umbra superstes agit.  
Sunt tenebra, Juri pridem lux apta severo:  
Lux fuit, extinctam noli animare facem,  
Est labor insanus, sine mente precantia vota  
Egeris: hunc nullus scit revocare gradum.  
Exspiravit homo, sic exspirabis, agoni  
Succubuit, parilis pugna parata tibi.  
Adversus vitæ non exitit herba supremum:  
Hanc herbam Lachesi porrige, namq; cades.  
Pronus es in terram, terra mandata capeffe,  
Omne tuum marmor lurida pulvis erit.  
Vix lapidem cupies alium, ne fortè cadaver  
Ladat onus, sat erit cespite velet humus.  
Quum pereas, studeas, tua sint peneitalia fraudis  
Nescia, non saxis edificata malis.  
Incoluit latitans Hofmannus talia spreto  
Fastu, quem Mundi regna, sed ima, tenent:  
Nec fuit impatiens morbi, constantia abunde  
Erga Clementem sparsit amore Deum.  
Suadebat Pietas, cujus se copia fudit  
In solamen, erat clamor ad astra frequens.  
Ipsa marita tori vidui lugubris imago  
Sponte videbatur cum comite ire comes:  
Connubium, dixit, fuerat, mutemur id ambo,  
Hospita jam pacti gaudia fingo poli.  
Sperabant teneri vestigia & ora paterna  
Filioli quatuor, filiolæq; dua.  
Nos quoque speramus sublimia, reg; priorem  
Per celsas nubes turba sequemur ovans.  
Ultima ego meditor volventum pensa sororum:  
Salve anima Hofmanni pulcra, quieta, mea.*



EPITAPHIUM HONORARIUM.

Hoc latent tumulo  
Virtutis in vivis recreatio, Doctrinae conquestae cura,  
Virorum voluptas, Juventutis amor  
nunc exacti laboris quies,  
Pietati devota  
in Pietate suscepta  
Sideribus proxima  
inter sidera jam micat.  
Quod erimus, factus est

DN. JOH. JACOBUS HOFMANNUS,

J. U. D.

Academiae Basileensi  
Literarum  
humaniorum, altiorum  
Nutrici

à

Codicis Justiniani  
professione  
Celeberrimus,  
quem,  
ne Mundi calamitas  
porro haberet,  
Omnipotentis dextra subduxit.

Vixit

primo connubio  
& filiolo  
mox privatus:  
Secundo  
ipse praeventus

Reli-

Reliquit  
annum agens quinquagesimum quartum  
Sex liberos,  
filios quatuor, filias duas;  
omnibus matrem  
proh dolor! afflictissimam.  
Da Deus,  
ne credamus Lachesis factum Caligulam,  
qui omnem Juris usum se aboliturum jaetabat.  
Morientibus substitue  
in primis dignos.

---

II.

*E P I T A P H I U M*  
JOHANNIS PASSERATII,  
quod sibi ipse scripsit Parisiis.

**H**ic situs in parva Janus Passeratus urna,  
Aufonii Doctor Regius eloquii.  
Discipuli memores tumulo date ferta Magistro,  
Et vario florum munere vernet humus.  
Hoc culta officio, mea molliter ossa quiescent,  
Sint modò carminibus non onerata malis.  
*Veni, abii; sic vos venistis, abibitis omnes.*

*F I N I S.*

De Duce  
ne ordinatus L. de...  
qui...  
...

JOHANNES PASSENER  
quod...

Hic...  
...

F I N I S